



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Quid est, esse reum corporis & sanguinis Domini. Tit. 89

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

6, dicit Christus, Qui manducat me, in me manet, & ego &c. Hęc igitur est potissima p̄ba, quia homo debet pensare, anñ exciderit de communione Christi & Ecclesie, & sic accedere sæpè & cõfortari in gratia. Tertia causa, Ideò Deus instituit corpus suum manducare, quòd omnes qui volunt illud accipere, & sanguinem eius bibere, debeant esse & stare in charitate & vnione cum omnibus hominibus, cum nullo erga proximum, nullo schismate erga Ecclesiam Catholicam, & hanc rem notat Paulus 1. Corinth. 10. quando dicit vnũ corpus & vnum panem multos esse, sicuti de vno pane & calice participamus. Patet ergo quàm periculosum sit, in odio vel schismate communicare: hæc directè pugnant contra institutum Sacramenti, nam hoc Sacramento tu promittis Deo, velle te stare in vnitatem, & esse granum panis vnici, & racemum vini charitatis: at qui contrarium facit, exindè odit proximum &c. Hæ sunt potissimæ rationes communicandi, non remissio peccatorum, vt secta docet. Sacramentum nõn remittit peccatum, sed signum remissionis est: nam ad peccati remissionem non proprie institutum. Est quoq; alia institutionis causa, vt fidem nostram publicè profiteamur, quia credimus Euangelium Christi, & nos pro membris suis & illius congregationis esse protestamur.

*QVID EST, ESSE REVM CORPORIS & sanguinis Domini.*

TITVLVS LXXXIX.

**A**postolus 1. Corint. 11. loquitur durissimum verbum, dicens: Qui manducat indignè, reus fit corporis & sanguinis Domini. Et iterũ: Ille manducat & bibit sibi ipsi iudiciũ, Esse reum in corpore Christi, nihil aliud est, quàm piaculum committere in sacrum Sacramentum corporis & sanguinis Christi.

Q 9 5

Christi, quod sic multis modis. Primò, qui non discernunt inter alium panem, vinum aut cibū, & corpus sanguinem Domini, & de illis dicit Apostolus in 1. Cor. 11. quòd multi puniti sunt infirmitatibus varijs, & mortui sunt, subito interfecti. Nam si nos iudicaremus, & primum nos ipsos probaremus, non utique à Domino iudicaremur, id est, puniremur: attamen omnes qui sic subito puniuntur, vel aliter hic temporaliter, non sunt damnati propterea eternaliter. Nam idèò corripimur, vt non cum hoc modo (id est, infidelibus) damnemur. Qui ergo ex consuetudine propter homines sine timore communicant, ij delinquant in corpus & sanguinem Christi, eò qd non reuerentur illud, sicuti deberēt, sicut Hebr. 6. dicitur, Christum rursus crucifigant. Secundò peccant in corpus & sanguinem Christi, secundum Apostolum, 1. Corint. 11. qui in scissura communicant. Ad deo, inquit, scissuras esse inter vos: qui ergo communicant in odio, schismate aut errore & falsa fide, peccat in corpus Christi reale & mysticum, id est, Ecclesiam, 1. Corinthior. 12. Nam Christus vult, vt qui sunt vnus panis & vnum corpus, 1. Cor. 10. suum corpus communicent. Sectæ autem se diuiserunt ab Ecclesia Catholica, sicut dicit Iudas in sua canonica, se metipfos segregantes, & subuersi sunt. Quare qui hoc Sacramento vnitatis abutitur ad dissensionem & diuisionem, grauissimè peccat, & sese damnat & cetera. Sic enim inquit Luterus in libello de formula Missæ: si papistæ vtranq; speciem sumerent aut in concilio statuerent, nos vnã vellemus accipere & cetera. Ergo sectæ in odium nostrum sumunt vtranque speciem, vnã tantum aut nullam sumpturi, si Catholici vtranque sumerent. Vnus igitur eorum vult habere signum & figuram contra verba Christi, Matthæi 26. Hoc est corpus meum: alius panem manere contentus est. Et idèò adorationem, peccationem, honorem negant. Sa.

gant Sacramento, ne creatura adoretur. At Christus non dicit, Hic panis est corpus meum, &c. Alius negat diuinitatem, & facit Christum sine diuinitate esse in Sacramento: etiam si verè quod semel assumpsit, nunquam dimisit aut dimittet. Thomas ergo non errauit, Ioannis 20. dicendo, Deus meus & Dominus meus. Alius vult habere duplices & diuisas species Sacramenti, separatum à corpore & sanguine, quasi iterum moriatur Christus, Roman. sexto. Sic olim veteres hæretici. Arius negauit diuinitatem, Manichæus humanitatem &cæt. Hæc cum sit pessima scissura, qui sic in errore, & falsa fide, ac odio & schismate sumit Eucharistiam, peccat in corpus Domini, aliter de illo sentiendo & credendo, quàm debet in Catholica vnitate.

Tertiò, peccant in sanguinem & corpus Christi, qui malè viuunt, fornicator, vsurarius, raptor &cæt. curiosus, id est, qui non intendunt relinquere peccata, at tamen communicant ex consuetudine, illi soli manducant corporaliter, sicut omnes sectarij, &cæt. at non vniuntur in Spiritu cum Christo & Ecclesia. Ideò sine fructu est talis communio, & potiùs ad penam quàm vtilitatem communicant, & non habent vtiliter Sacramenta, quia sine penitentia peccatorum & charitate proximi communicant. Si enim Apostolus 1. Cor. 5. iubet non comedere communẽ cibum cum talibus fornicarijs, multo minùs communicare cum hæreticis, nec tales admittendi sunt ad mensam Catholicam. Si autem verè penituerint &c. homines peccant contra corpus & sanguinem Domini communicantes, &c. Sic Iudas communicauit in malo proposito tradendi Christum, Ioan. 13.

*AN VIS SACRAMENTI SIT  
alligata speciebus.*

TITVLVS XC.

Primò